

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 9384

**Auteur(s) :** Guillaume de Passavant, Le Mans (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1142-1187]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume, évêque du Mans, confirme à l'abbaye de Savigny divers dons.

## Tableau de la tradition

### Original

A. Paris, Arch. Nat., L 969, n° 335.

## Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Cenomanensi, n° LIII)

Texte d'après A

Guillelmus Dei gracia Cenomanensis episcopus fidelibus universis salutem. Pagina presenti vestre notum [facimus fraternitati quod] Robertus Gislaut in presencia nostra abbatie Savigneii pro amore Dei totam terram suam [de Corbe fossa] in elemosinam perpetuam donavit, ipsam quodque donationem in nostra presencia Ricardus de P[oeio dominus prefati Roberti] concessit, quicquid juris habebat in predicta terra jam dicte abbatie in elemosinam dedit perpetuam et carta sua confirmavit que ipsius Ricardi donationem et filiorum suorum concessionem continet idem quoque Ricardus promisit monachis quod si dominus suus in terra predicta servicium aliquid exigeret Ricardus de servicio tam sufficienter domino satisfaceret quod monachi pro terra illa nullum servicium reddere deberent. Paganus autem de Guarda in presencia nostra similiter terram suam de Guarda abbatie in elemosinam perpetuam dedit concedentibus filiis suis Hamelino et Guillelmo et Roberto quibus monachi dederunt decem libras cenomannensium et unum equum monachi autem prefatum Paganum habitum sancte religionis vestientes in domo Savigneii susceperunt. Habent etiam monachi Savigneii ex dono Hugonis de Monte Geroldi totam terram suam de Vado de Brives quam dedit prefate abbatie in perpetuam elemosinam et carta sua et sigillo confirmavit quam cartam et sigillum monachi nobis attulerunt. Ex dono autem Enguerrandi Piscis totam decimam suam de Valle Torta et de Montage et de Rogealne cum omnibus pertinentiis suis et totum pratum suum de Destorne. Ex dono Gervasii de Sancto Hylario totam decimam suam de Valle Torta. Ex dono Guarini de Sancto Bertivino pratum de Septem Fontibus. Ex dono plurimorum fidelium clausum Vinearum apud Laval concedente Guarino de Sancto Bertivino ad cujus dominicum pertinent. Ex dono Hugonis de Baseille quartam partem tocius feodi Pichonis cum omnibus pratis ultra chininum de Poncello del Biet, duas etiam garbas tocius decime hominum suorum qui manent in terra de calumpniis. Ut autem omnes he donationes rate et inconcuse in perpetuum permaneat eas presenti pagina annotatas sigillo nostro muniri et confirmari volumus.